

sunt quoque alii modi, quibus apud Romanos servi libertatem consecuti: sed cum in compendio versetur, satius ducimus, cum ipso nostro Imperatore L. B. ad constitutiones Imperatorias in l. 4. C. de prepos. sacr. cubic. l. 24. C. de episcop. aud. l. un. §. 3. & seq. C. de latin. lib. toll. remittere. Addi potest Donell. 2. comm. c. 15. ibique Hillig. Dn. Joh. Strauch. diff. Just. 1. th 20.

XXVIII. Restat diversus ex difformi manumissionis modo descendens effectus. Oppidò is in diversò & tripartito Libertinorum statu occurrit: cum non omni indiscriminatim manumissioni par efficacia transcripta sit. Viadicta equidem, in æde sacra censu ac testamento manumissi perfectam omni numero consequerentur libertatem fiebantque cives Romani, Ulp. fragm. tit. 1. §. 1. Cujus Inst. lib. 1. tit. 1. §. 1. Connan. comm. jur. civ. lib. 2. c. 6. Per epistolam verè aut inter amicos manumissi ex L. Junia Norbana Latinorum saltem jura obtinebant, vivebantque ut liberi, moriebantur verò ut servi. Et ea propter nec testamentum condere poterant, sed bona illorum post mortem ad Patronos, non secus ac servorum peculia ad Dominos redibant, §. ult. Inst. de success. libert. l. un. in fin. pr. & §. 3. C. de latin. lib. toll. Deditiorum tandem ab hostium similitudine, qui se suaque victori dederunt, dictorum, numero juxta Ulpianum d. l. §. 6. & Cajum d. l. §. 3. illi veniebant, qui post admissa crimina supplicis subditi & publicè pro criminibus casti sunt: aut in quorum facie vel corpore quacunq; indicia aut igne aut ferro impressa sunt, & ita impressa sunt ut deleri non possint. Hi si manumissi fuerint, Dedititii appellantur. Et istiusmodi dedititii revera nec ut liberi, nec ut servi vivebant, sed umbra quadam libertatis fruebantur. l. unic. in fin. C. de latin lib. toll. & prolixè Connanus com. jur. civ. lib. 2. c. 6. n. 2. Cujac. obs. lib. 4. c. 5. & lib. 7. c. 14. Cum itaque horum ex dispositione L. Æliæ Sentia conditio pessima fuerit, inde ipsa etiam severior antiquitas præter nudum nomen nihil notari de eâ voluit b. §. & §. 4. Inst. de success. libert. Rebhan. hod. jur. p. 87. Sed verò, sicut Imperator Antoninus omnes ingenuos fecit cives Romanos l. 17. π. de stat. hom. ita Justinianus noster omnibus Libertinis jus ingenuitatis & per consequens etiam civitatis Romanæ concessit Nov. 78. c. fin. V. Donell. comm. jur. civ. lib. 2. c. 16. Quò minus tamen favor ille & gratia Imperialis ipsis præstitus li-

Diversum manumissionis effectus.